rū que exaruit anteq̄ matureſceret. Habitati-
nē tuā et egreſſum tuū: et introitū tuū ego co-
gnoui: et inſaniā tuā cōtra me. Cū fureres ad
uerſum me ſuperbia tua aſcendit in aures me-
as. Ponā ergo circulum in narib⁹ tuis: et frenū
in labijs tuis: et reducā te in via p quā veniſti.
Tibi aūt hoc erit ſignū. Comede hoc anno que
ſponte naſcūtur: et in anno ſecūdo pomis veſce
re. In āno aūt tertio ſeminate et metite: ⁊ plā
tate vineas: et comedite fructū earum. Et mit
tet id quod ſaluatum fuerit de domo iuda ⁊ qd̄
reliquum eſt radicem deorſum: et faciet fructū
ſurſum: q: de hierl'm exibunt reliq̄e: et ſalua-
tio de monte ſyon. zelus dn̄i exercituū faciet
iſtd̄. Propterea hec dicit dn̄s de rege aſſyriorꝫ
Nō intrabit ciuitatē hanc: ⁊ nō iaciet ibi ſagit B
tam: et nō occupabit eā clypeus: et nō mittet i
circūitu eius aggerē. In via q̄ venit. per eam
reuertet̄. ⁊ ciuitatē hāc nō ingrediet̄ dicit dn̄s
Et ptegā ciuitatē iſtā vt ſaluē eā ppt̄ me ⁊ ppt̄
dauid ſeruū meū. Egreſſus eſt aūt angel⁹ dn̄i
et pcuſſit in caſtris aſſyriorꝫ centū octoginta-
q̄nq̄ milia. Et ſurrexerūt mane: et ecce omēs
cadauera mortuorꝫ. Et egreſſus eſt et abijt. Et
reuerſus eſt ſennacherib rex aſſyriorꝫ: et habi
tauit in niniue. Et factū eſt cū adoraret in tem
plo neſrach deū ſuū. adramalech ⁊ ſaraſar filij
eius pcuſſerūt eū gladio: fugerūtq̄ in terram
ararath ⁊ regnauit aſaraddon filius ei⁹ p eo.
¶ C. S. Ezechias egrotauit ⁊ orauit ad dn̄m
qui addidit ei. xv. annos. ⁊ ſcripſit canticū gra
tiarū actionū.

¶ Ca. XXXVIII

In dieb⁹ illis egrotauit ezechias vſ A
q̄ ad mortē: et introiuit ad eū eſai- iiij.reg.xx. a
as filius amos pphet a: et dixit ei. ij.Pa.xxxij. f
Hec dicit dn̄s. Diſpone domui tue
q: morieris tu ⁊ nō viues. Et ꝯuertit ezechias
faciē ſuā ad parietē: ⁊ orauit ad dn̄m. ⁊ dixit.
Obſecro dn̄e memēto q̄ſo quō ambulauerim
coram te in veritate: ⁊ in corde pfecto. ⁊ quod
bonū eſt in oculis tuis fecerim. Et fleuit eze-
chias fletu magno. Et factū eſt verbū dn̄i ad
eſaiā: dicēs. Uade et dic ezechie. Hec dicit do
minus deus dauid pr̄is tui. Audiui orōnē tuā
et vidi lachrymas tuas. Ecce ego adijciā ſup B
dies tuos q̄ndecim annos. et de manu regis aſ
ſyriorum eruā te: et ciuitatē iſtā: et ptegā eam
Hoc aūt tibi erit ſignū a dn̄o: q: faciet dn̄s ver iiij. Regꝫ. ij. g
bum hoc qd̄ locutus eſt Ecce ego reuerti faciā Luc. ij. c
vmbram linearū p q̄s deſcenderat in horologio
achaz in ſole retrorſum decē lineis. Et reuer
ſus eſt ſol decē lineis p gradus quos deſcēde-
rat. Scriptura ezechie regis iuda cū egrotaſ-
ſet ⁊ ꝯualuiſſet de infirmitate ſua. Ego dixi in
dimidio dierꝫ meorꝫ: vadam ad portas inferi.
Queſiui reſiduum ānorꝫ meorꝫ. Dixi nō videbo
dn̄m deū in terra viuentiū. nō aſpiciam hoiēs
vltra: et habitatorem quietis. Generatio mea C
ablata eſt: ⁊ ꝯuoluta eſt a me q̄ſi tabernaculū
paſtorꝫ. Precisa eſt velut a texēte vita mea: dū
adhuc ordirer ſuccidit me. De mane vſq̄ ad ve
ſperam finies me: ſperabā vſq̄ mane. Quaſi Job. iiij. d
leo ſic cōtriuit oīa oſſa mea. De mane vſq̄ ad
veſperā finies me. Sicut pullus hyrūdinis ſic
clamabo: meditabor vt colūba. Attenuati ſunt
oculi mei ſuſpiciētes in excelſum. Dn̄e vim pa-
tior: rn̄de p me. Quid dicā aut q̄d rn̄debit mi-
hi cū ipſe fecerit? Recogitabo tibi om̄s ānos
meos in amaritudie aie mee. Dn̄e ſi ſic viuit̄:
et in talib⁹ vita ſpūs mei. Corripies me ⁊ viui D
ficabis me: ecce in pace amaritudo mea ama-
riſſima. Tu aūt eruiſti aiam meā vt nō periret
pieciſti poſt tergum tuū oīa peccata mea. Q:

nõ infernus ↄfitebitur tibi neq̃ mors lauda-
bit te:nõ expectabunt q̃ deſcendũt in lacũ ve-
ritatem tuã. Uiuẽs viuens ipſe cõfitebit tibi ſi
cut et ego hodie. Pater filijs notã faciet veri-
tatem tuã. Dñe ſaluũ me fac ⁊ pſalmos nr̃os
cantabim⁹ cũctis diebus vite nr̃e in domo do
mini. Et iuſſit eſaias vt tollerent maſſam de fi
cis et cataplaſmarent ſuper vulnus:⁊ ſanaret
Et dixit ezechias. Quod erit ſignum:q: aſcen
dam in domum domini.

¶ C. S. De nũcijs merodach ad ezechiam: et
de correptione ezechie ab eſaia pro oſtentatio
ne domus ſue. ¶ Ca. XXXIX

A In tpe illo miſit merodach baladaʒ
iiij.Re.xx.c filius baladã rex babylonis libros
et munera ad ezechiam. Audierat
enĩ q̃ egrotaſſet ⁊ ↄualuiſſet. Leta
tus eſt aũt ſup eis ezechias: et oſtẽdit eis cel-
lam aromatum:et argenti et auri et odoramẽ
torũ ⁊ vnguẽti optimi:⁊ oẽs apothecas ſup-
pellectilis ſue ⁊ vniuerſa q̃ inuẽta ſunt in the-
B ſauris eius. Nõ fuit verbũ qd nõ oñderet eis
ezechias in domo ſua.et in omi ptãte ſua. In-
troiuit aũt eſaias pp̃heta ad ezechiã regem:⁊
dixit ei. Quid dixerũt viri iſti: et vñ venerunt
ad te? Et dixit ezechias. De terra longinq̃ vene
C rũt ad me de babylone. Et dixit. Quid viderũt
in domo tua? Et dixit ezechias. Oĩa q̃ ĩ domo
mea ſunt viderũt. Nõ fuit res quã nõ oñderiʒ
eis in theſauris meis. Et dixit eſaias ad eze-
chiam. Audi verbũ dñi exercituũ. Ecce dies ve
nient:⁊ auferent oĩa q̃ in domo tua ſunt: et q̃
theſauriſauerũt pr̃es tui vſq̃ ad dieʒ hãc ĩ ba
bylonem. Nõ relinquet q̃cq̃:dicit dñs. Et d̃ fi-
lijs tuis q̃ exibũt de te quos genueris tollent
et erunt eunuchi in palatio regis babylonis.
D Et dixit ezechias ad eſaiam. Bonum verbum
dñi quod locutus eſt. Et dixit. Fiat tñi pax et
veritas in diebus meis.

¶ C. S. De aduentu Iohãnis baptiſte. de pre
dicatiõe ap̃loꝝ. de vocatione gentiũ: ⁊ magni
tudie vocantis.⁊ de idolis. ¶ Ca. XL

A Conſolamini ↄſolamini pp̃le me⁹ di
cit deus veſter. Loq̃mini ad cor hie-
Math.iij.a ruſalem et aduocate eam.q̃ñ com-
Mar.i.a pleta eſt malicia ei⁹ dimiſſa eſt iniq̃
Luc.iij.c tas illius. Suſcepit de manu dñi duplicia pro
Ioh.i.c omibus peccatis ſuis. Uox clamãtis in deſer-
to. Parate viam dñi.rectas facite in ſolitudie
ſemitas dei nr̃i. Oĩs vallis exaltabit:⁊ omis
mons et collis humiliabit.⁊ erũt praua in di-
B recta ⁊ aſpera in vias planas. Et reuelabitur
gl̃ia dñi:⁊ videbit omis caro pariter q̃ os do
mini locutum eſt. Uox dicentis. Clama:⁊ dixi.
Eccl.xiiij.c Quid clamabo? Oĩs caro fenum:⁊ oĩs gloria
Iaco.i.b eius q̃ſi flos agri. Exiccatum eſt fenuʒ ⁊ ceci-
i.Pe.i.d dit flos.q: ſpũs dñi ſufflauit in eo. Uere fenuʒ
eſt pp̃ls. Exiccatuʒ eſt fenũ et cecidit flos:ver
bum aũt dñi manet ĩeternũ. Sup montem
excelſum aſcende tu qui euãgelizas ſyon: exal
ta in fortitudine vocem tuã q̃ euangelizas hie
ruſalem. Exalta noli timere. Dic ciuitatib⁹ iu-
C de. Ecce deus veſter. Ecce dñs deus in fortitu i.lxij.d
dine veniet.⁊ brachiũ ei⁹ dñabitur. Ecce mer
ces eius cũ eo:⁊ opus illius coram illo. Sicut
paſtor gregem ſuũ paſcet in brachio ſuo ↄgre-
gabit agnos: ⁊ in ſinu ſuo leuabit. fetas ipſe
portabit. Quis mẽſus eſt pugillo aq̃s et celos
palmo ponderauit? Quis appendit tribus di-
gitis molem terre:et librauit in pondere mõ-
tes et colles in ſtatera? Quis adiuuit ſpm̃ dñi Sap.ix.c
aut q̃s cõſiliarius ei⁹ fuit:et oñdit illi? Cum q̃ Ro.xi.d
iniit ↄſilium: ⁊ inſtruxit eum et docuit eum ſe
D mitam iuſticie.⁊ erudiuit eum ſciã et viã pru-
dentie oñdit illi? Ecce gentes q̃ſi ſtilla ſitule:⁊
quaſi momentum ſtatere reputate ſunt. Ecce
inſule q̃ſi puluis exiguus: et liban⁹ nõ ſuffici-
et ad ſuccendendũ:⁊ aĩalia eius nõ ſufficient
ad holocauſtum. Oẽs gẽtes q̃ſi nõ ſint: ſic ſũt
coram eo:⁊ q̃ſi nihilũ et inane reputate ſunt ei
Cui ergo ſimilẽ feciſtis deũ:aut quã imagineʒ E
ponitis ei? Nunquid ſculptile cõflabit faber:
aut artifex auro figurabit illud et laminis ar
genteis argẽtari⁹? Forte lignũ ⁊ imputribile
elegit artifex ſapiens.q̃rit q̃ñ ſtatuat ſimula
crum q̃ nõ moueat. Nunq̃d nõ ſcietis? Nũq̃d
nõ audiſtis? Nunq̃d nõ annunciatũ eſt vobis
ab initio? Nunq̃d nõ intellexiſtis fundamen-
ta terre? Qui ſedet ſup gyrũ terre ⁊ habitatores
eius ſunt q̃ſi locuſte? Qui extendit velut nihili
celos:⁊ expandit eos ſicut tabernaculũ ad in F
habitãduʒ? Qui dat ſecretoꝝ ſcrutatores q̃ſi nõ
ſint iudices terre velut inanes.fecit. Et q̃dem
neq̃ plãtato neq̃ ſato:neq̃ radicato in terra
trũco eoꝝ. Repẽte flauit in eos:⁊ aruerunt:⁊
turbo q̃ſi ſtipulã auferet eos. Et cui aſſimilaſtiſ i.xlvi.b
me et adeq̃ſtis dicit ſctũs. Leuate in excelſum Mat.xviij
oculos vr̃os:⁊ videte q̃s creauit hec. Qui edu
cit in nũero militiã eoꝝ:⁊ oẽs ex noĩe vocat.
Pre multitudie fortitudis ⁊ roboris virtutiſq̃
G eius:neq̃ vnũ reliquũ fuit. Quare dic̃ iacob:
et loq̃ris iſrl̃:abſcõdita eſt vita mea a dño:⁊ a
deo meo iudiciũ meũ trãſibit? Nunq̃d neſcis:
aut nõ audiſti? Deus ſempiternus dñs q̃ crea
uit terminos terre.⁊ non deficiet neq̃ labora
bit:nec eſt inueſtigatio ſapie ei⁹.q̃ dat laſſo vir
tutem.⁊ his q̃ nõ ſunt fortitudinẽ ⁊ robur mł-
tiplicat. Deficiẽt pueri ⁊ laborabũt:et iuuenes
H in infirmitate cadẽt. Qui aũt ſperãt ĩ dño mu
tabũt fortitudinẽ:aſſumẽt pẽnas ſicut aq̃le.cur
rẽt ⁊ nõ laborabũt:ãbulabũt et nõ deficient.

¶ C. S. De reſurrectiõe ⁊ aſcenſiõe xp̃i. v̇ba
chryſti ad ap̃los. de cõuerſione gentiũ. de con-
futatione idolorum. ¶ Ca. XLI

A Taceant ad me inſule:et gentes mu
tent fortitudinẽ. Accedant ⁊ tũc lo-
quantur. ſimul ad iudiciũ propinq̃-
m⁹. Quis ſuſcitauit ab oriẽte iuſtũ
vocauit eũ vt ſequeret ſe? Dabit ĩ ↄſpectu ei⁹
gentes:⁊ reges obtinebit. Dabit q̃ſi puluereʒ
gladio ei⁹.ſicut ſtipulã vẽto raptã arcui eius.
Perſequet eos:trãſibit in pace: ſemita ĩ pedi

B bus eius nō apparebit. Quis hec opatus eſt ꝛ
J.xliiij.a. ꝛ fecit vocans generatōes ab exordio? Ego dñs
xlviij.b. pmus ꝛ nouiſſimus ego ſum. Viderūt inſule ꝛ
timuerūt. extrema terre obſtupuerunt: appro-
pinquauerūt et acceſſerūt. Vnuſquiſq; primo
ſuo auxiliaf: ꝛ fratri ſuo dicet: cōfortare. Cōfor-
tauit faber erarius pcutiēs malleo eū q̄ cude-
bat tūc tēporis: dicens glutino bonū eſt: ꝛ con
fortauit eū clauis vt nō moueatur. Et tu iſrael
ſerue meus iacob quē elegi. ſemē abraam ami
ci mei. in quo apprehendi te. ab extremis ter-
re ꝛ a longinquis eius vocaui te: et dixi tibi.
C Seruus me9 es tu: elegi te ꝛ non abieci te. Ne
J.xliij.c timeas q2 ego tecū ſum: ne declines q2 ego de
us tuus. Cōfortaui te et auxiliatus ſum tibi: et
ſuſcepit te dextera iuſti mei Ecce cōfundentur
ꝛ erubeſcent oēs q̄ pugnant aduerſum te erūt
quaſi nō ſint. ꝛ peribunt viri q̄ cōtradicūt tibi.
Queres eos ꝛ nō inuenies viros rebelles tu-
os ꝛ erūt quaſi nō ſint. et veluti cōſumptio ho-
minis bellantis aduerſum te: q2 ego dñs deus
D tu9 apphendēs manū tuā dicēſq; tibi. Ne time
as ego adiuui te. Noli timere vermis iacob: q̄
mortui eſtis ex iſrael. Ego auxiliatus ſum tui
dicit dñs: et redēptor tu9 ſanct9 iſrael. Ego po-
ſui te quaſi plauſtrū triturās nouū: hñs roſtra
ſerrātia. Triturabis mōtes ꝛ cōminues: ꝛ col-
les quaſi puluerē pones. Ventilabis eos ꝛ vē
tus tollet: et turbo diſperget eos: et tu exulta-
bis in dño. in ſctō iſrael letaberiſ. Egeni ꝛ pau
peres q̄runt aquas ꝛ non ſunt. lingua eoꝝ ſiti
aruit. Ego dñs exaudiā eos. de9 iſrael non de-
E relinquā eos. Aperiā in ſupinis collib9 flumīa
ꝛ in medio campoꝝ fontes. Ponā deſertū in
ſtagna aquarū ꝛ terrā inuiā in riuos aquarū.
Dabo in ſolitudinē cedrum ꝛ ſpinā ꝛ myrtū ꝛ
lignū oliue. Ponā in deſertū abietē vlmū ꝛ bu
rum ſimul vt videāt ꝛ ſciāt ꝛ recogitēt ꝛ intel-
F ligant pariter: q2 man9 dñi fecit hec: ꝛ ſanctus
iſrael creauit illud. Prope facite iudiciū veſtrū
dicit dñs. afferte ſi quid forte habetis dixit rex
iacob. Accedant et nūcient vobis quecūq; vē-
tura ſunt. Priora q̄ fuerunt nūciate et ponem9
cor noſtrū: et ſciem9 nouiſſima eoꝝ: ꝛ q̄ ventu
ra ſunt indicate nobis. Annunciate q̄ ventura
ſunt in futurū: et ſciem9 q2 dij eſtis vos. Bene
q̄ aut male ſi poteſtis facite ꝛ loquamur ꝛ vi-
G deamus ſimul. Ecce vos eſtis ex nihilo: ꝛ opus
veſtrū ex eo qđ nō eſt. Abomīatio eſt q̄ elegit
vos. Suſcitaui ab aq̄lone ꝛ veniet ab ortu ſo-
lis. Vocauit nomē meū ꝛ adducet magiſtrat9
quaſi lutū: ꝛ veluti plaſtes cōculcans humum.
Quis annunciauit ab exordio vt ſciamus: et a
pncipio vt dicam9 iuſtus es. Nō eſt annūcians
neq; pdicens neq; audiēs ſermones veſtros.
Prim9 ad ſyon dicet: ecce adſum: ꝛ hieruſalem
euangeliſtā dabo. Et vidi et nō erat ex iſtis q̄ſ
q̄ q̄ iniret cōſilium. ꝛ interrogat9 rñderet ver-
bum. Ecce omēs iniuſti ꝛ vana opera eoꝝ ven
tus ꝛ inane ſimulacbra eoꝝ.
¶ C. S. De chriſto ꝛ baptiſmo eius, de verbis
patris ad filiū ꝛ ad apl̄os. de aduentu xp̄i ꝛ p-
uerſione iudeoꝝ ppter idola. ¶ Ca. XLII
Ecce ſeruus me9: ſuſcipiā eū. elect9 me
A us cōplacuit ſibi in illo aīa mea. Dedi Math.xij.d
ſpm̄ meū ſup eū: iudiciū gentib9 pfe-
ret. Nō clamabit neq; accipiet pſonā
nec audiet vox ei9 foris. Calamū q̄ſſatū nō cō
teret: et linū fumigās n̄ extiguet. In veritate e-
ducet iudiciū: nō erit triſtꝫ neq; turbulent9 do
nec ponet ī t̄ra iudiciū: ꝛ legē ei9 iſule expecta
bunt. Hec dicit dñs de9 creans celos ꝛ extēdēs
eos. firmās terrā ꝛ q̄ germināt ex ea. dans fla
tum pplo q̄ eſt ſup terrā: ꝛ ſpm̄ calcantib9 eā.
B Ego dñs vocaui te in iuſticia: ꝛ apphendi ma-
nū tuā: et ſeruaui te. Et dedi te in fedus ppli. J.xlix.b
in lucē gentiū: vt aperires oculos cecoꝝ: ꝛ edu
ceres de cōcluſione vinctū. de domo carceris ſe
dētes in tenebris. Ego dñs. hoc ē nomē meū
Gl̄iam meā alteri nō dabo: ꝛ laudē meā ſculp- J.xlviij.b
tilibus. q̄ prima fuerūt ecce venerūt. noua quo- Ps.xlix
q; ego annūcio. anteq̄ oriant audita vobis fa
ciam. Cantate dño canticū nouū: laus eius ab
extremis terre. Qui deſcēditis in mare ꝛ ple-
nitudo ei9: inſule ꝛ habitatores earū. Leuet de
ſertū ꝛ ciuitates ei9 in domib9 habitabit cedar
Laudate hitatores petre. de vertice mōtiū cla
C mabūt. Ponēt dño gloriā ꝛ laudē ei9 in inſulis
nūciabūt. Dñs ſicut fortꝫ egrediet: ꝛ ſicut vir p
liator ſuſcitabit zelū. Vociferabit et clamabit:
ſup inimicos ſuos cōfortabit. Tacui: ſp ſilui. pa-
tiens fui. ſicut pturiēs loquar. Diſſipabo ꝛ ab-
ſorbebo ſimul. deſertos faciā mōtes ꝛ colles: ꝛ
omē germē eoꝝ exiccabo. Ponā flumīa i inſu
las ꝛ ſtagna arefaciā. Et educā cecos in viam
quā neſciūt: ꝛ in ſemitꝫ quas ignorauerūt am
bulare eos faciā. Ponā tenebras corā eis in lu
cem: ꝛ praua in recta. Hec verba feci eis: et nō
dereliqui eos. Cōuerſi ſunt retrorſum. Confun
dantur cōfuſione q̄ cōfidūt in ſculptili. q̄ dicunt
cōflatili vos dij noſtri. Surdi audite ꝛ ceci in
tuemini ad videndū. Quis cecus niſi ſeru9 me
us: et ſurdus niſi ad quem nūcios meos miſi?
D Quis cec9 niſi q̄ venūdatus eſt? Et q̄s cec9 niſi
ſeruus dñi? Qui vides multa. nōne cuſtodies?
Qui aptas habes aures. nōne audies? Et dñs
voluit vt ſanctificaret eū: magnificaret legē ꝛ
extolleret. ipē aūt pplus dirept9 ꝛ vaſtat9. La-
que9 iuuenū oms: ꝛ i domib9 carcerū abſcōditi
ſunt. Facti ſunt ī rapinā. nec eſt q̄ eruat in dire
ptionē: nec ē q̄ dicat: redde. Quis ē in vob̄ q̄ au
diat h: attēdat ꝛ auſcultet futura? Quis dedit
ī direptōēꝫ iacob ꝛ iſrl̄ vaſtātib9? Nōne dñs ip
ſe cui peccauim9? Et noluerūt in viis ei9 ambu
lare: ꝛ nō audierūt legē ei9. Et effudit ſup eū
indignationē furoris ſui ꝛ forte bellū: ꝛ cōbuſ-
ſit eum in circūitu ꝛ nō cognouit ꝛ ſuccendit eū
ꝛ nō intellexit.
¶ C. S. Populos credentes ex iudeis ſecuros
facit: ꝛ pmittit fidē ex oi pte. increpat gentes
de idolatria: q2 annūciāti nō crediderūt. de ſa
crificiis ꝛ thure iudeoꝝ reprobatis. XLIII

A ET nūc hec dicit dominus creans te ia
cob: et formans te iſrael. Noli timerē
quia redemi te: et vocaui te noīe tuo.
Meus es tu. Cū trāſieris per aquas
tecum ero: ⁊ flumina non operient te. Cum am
bulaueris in igne non cōbureris. ⁊ flamma nō
ardebit in te. qꝛ ego dominus deus tuus ſctūs
iſrael ſaluator tuus. Dedi ꝓpitiationē tuā egy
ptum et ethiopiā et ſaba pro te. Ex quo honora
bilis factus es in oculis meis et glorioſus: ego
dilexi te. Et dabo homines pro te: et populos ꝓ
ē.xli.c anima tua. Noli timere quia ego tecū ſū. Ab
oriente adducā ſemen tuum: et ab occidente cō
gregabo te. Dicā aquiloni da: et auſtro noli pro
hibere. Affer filios meos de longinquo: et fili
as meas ab extremis terre. Et oēm qui inuo
cat nomen meum. in gloriam meam creaui eū:
B formaui eum et feci eum. Educ foras populum
cecum et oculos habentem: ſurdum ⁊ aures ei
ſunt. Omnes gentes congregate ſunt ſimul: et
collecte ſunt tribus. Quis in vobis annunciet
iſtud: et que prima ſunt audire vos faciet? Dēt
teſtes eorum et iuſtificentur: et audiant ⁊ dicāt
Vere vos teſtes mei dicit dñs: et ſeruus meus
quem elegi vt ſciatis et credatis mihi: et intel
ligatis: qꝛ egoipſe ſum. Ante me non eſt format⁹
Oſee.xiij.b deus: et poſt me non erit. Ego ſum: ego ſum do
minus: et non eſt abſqꝫ me ſaluator. Ego ānū
ciaui et ſaluaui: auditum feci: et non fuit in vo
bis alienus. Vos teſtes mei dicit domin⁹ ⁊ ego
deus. Et ab initio egoipſe: ⁊ non eſt qui de ma
C nu mea eruat. Operabor et quis auertet illud
Hec dicit dñs redemptor veſter ſanctus iſrael
Propter vos emiſi babylonē: et detraxi vectes
vniuerſos et chaldeos in nauibus ſuis glorian
tes. Ego dñs ſanctus veſter: creans iſrael: rex
veſter. Hec dicit domin⁹ qui dedit in mari viā
et in aquis torrentibus ſemitā. Qui eduxit q̄
drigā et equum. agmen et robuſtū. Simul ob
dormierunt nec reſurgent: et contriti ſunt qua
ſi linū: et extincti ſunt. Ne memineritis priorū
ij.Cor.v.d et antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua:
Apoc.xxi.b et nunc orientur: vtiqꝫ cognoſcetis ea. Ponā in
deſerto viam: et in inuio flumina. Et glorifica
bit me beſtia agri: dracones et ſtrutiōes. qꝛ de
di in deſerto aquas: et flumina in inuio. vt da
rem potum populo meo electo meo. Populum
D iſtū formaui mihi laudem meā narrabit. Non
me inuocaſti iacob: nec laboraſti in me iſrael.
Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui: ⁊ vi
ctimis tuis non glorificaſti me. Non te ſeruire
feci in oblatione. nec laborē tibi ꝓbui in thure.
Non emiſti mihi argento calamū: et adipe vi
ctimarū tuarum non inebriaſti me. Verūtamē
men ſeruire me feciſti in peccatis tuis. ꝓbuiſti
mihi laborem in iniquitatib⁹ tuis. Ego ſū ego
ſum ipſe. qui deleo iniquitates tuas ꝓpter me
⁊ peccatorum tuorꝫ non recordabor. Reduc me
in memoriam et iudicemur ſimul. narra ſi quid
habes vt iuſtificeris. Pater tuus primus pec
cauit: et interpretes tui preuaricati ſunt in me.

Et contaminaui principes ſanctos. dedi ad in
terni tionē iacob et iſrael in blaſphemiā.
¶ C. S. De baptiſmo nouo. ſubſannat de⁹ ido
la. vocat ad pniā: ⁊ oñdit potētiā ſuā. XLIIII
ET nunc audi iacob ſerue me⁹: et iſrael A
quē elegi. Hec dicit dñs faciens ⁊ for
mans te ab vtero auxiliator tuus. No Hiere.xxx.
li timere ſerue meus iacob: et rectiſſi et.xlvi.g
me quem elegi. Effundam eñ aquas ſup ſitien
tem: et fluenta ſuper aridā. Effundam ſpiritū
meum ſuper ſemen tuum et benedictionē meā
ſuper ſtirpem tuam: et germinabunt inter her
bas quaſi ſalices iuxta preterfluentes aquas.
Iſte dicet: dñi ego ſum. et ille vocabit in nomi
ne iacob. Et hic ſcribet manu ſua domino: et in
nomine iſrael aſſimilabitur. Hec dicit domin⁹
rex iſrael et redemptor eius dñs exercituum.
Ego primus et ego nouiſſimus: et abſqꝫ me nō ē.xli.b.c.f.
eſt deus. Quis ſimilis mei? Vocet et annunci xlviij.b
et: et ordinem exponat mihi. Ex quo conſtitui Apoc.i.a.et
mihi populum antiquum. Ventura. et que futu xxij.c
ra ſunt annūciet eis. Nolite timere: neqꝫ cōtur
bemini. Extunc audire te feci: et annunciaui. B
Vos eſtis teſtes mei. Nunquid eſt deus abſqꝫ
me. et formator quem ego non nouerim? Pla
ſte idoli omnes nihil ſunt: et amantiſſima eoꝝ
non proderunt eis. Ipſi ſunt teſtes eorum. qꝛ
non vident neqꝫ intelligunt: vt confundantur.
Quis formauit deum: et ſculptile conflauit. ad
nihil vtile. Ecce omnes participes eius cōfun
dentur. Fabri eñ ſunt ex hominibus. Conueni
ent enim omnes: ſtabunt et pauebunt: et con
fundentur ſimul. Faber ferrarius lima opat⁹ eſt
in prunis et in malleis formauit illud: et opera
tus eſt in brachio fortitudinis ſue. Eſuriet ⁊ de
ficiet: non bibet aquam et laſſeſcet. Artifex li Sap.xiij
gnarius extendit normā formauit illud in run
cina. Fecit illud in angularib⁹: et in circino tor
nauit illud. et fecit imaginē viri quaſi ſpecioſū
hominē habitantē in domo. Succidit cedros
tulit ilicem et quercū que ſteterat inter ligna
ſaltus. Plantauit pinum quā pluuia nutriuit: ⁊
facta eſt hominibus in focum. Sumpſit ex eis C
et calefactus eſt: et ſuccendit et coxit panes. de
reliquo operatus eſt deū et adorauit: fecit ſcul
ptile: et curuatus eſt ante illud. Mediū ei⁹ com
buſſit igni: et de medio eius carnes coxit: et co
medit. coxit pulmentum et ſaturatus eſt: et ca
lefactus eſt: et dixit. Vah: calefactus ſum: vidi
focum. Reliquum aūt eius deum fecit et ſcul
ptile ſibi. Curuatur ante illud: et adorat illud ⁊
obſecrat: dicens. Libera me. quia de⁹ meus es
tu. Neſcierunt neqꝫ intellexerunt. Obliti enim
ſunt ne videant oculi eorum: et ne intelligant
in corde ſuo. Non recogitant in mēte ſua. neqꝫ
cognoſcunt neqꝫ ſentiunt vt dicant. Medieta
tem eius combuſſi igni: et coxi ſuper carbones
eius panes. coxi carnes et comedi. et de reliq̄
eius idolum faciam. Ante truncū ligni ꝓcidā
Pars eius cinis eſt. Cor inſipiens adorabit illū
et non liberabit animam ſuam. neqꝫ dicet: forte

D mendaciũ eſt in dextera mea. Memẽto horũ
iacob ⁊ iſrael: qm̃ ſeruus me⁹ es tu. Formaui te
ſeruus me⁹ es tu iſrl̃: nõ obliuiſcaris mei. Deleui
vt nubẽ iniq̃tates tuas: ⁊ q̃ſi nebulã pctã tua.
Reuertere ad me: qm̃ redemi te. Laudate ce-
li qm̃ miam fecit dñs: iubilate extrema terre.
Reſonate mõtes laudationem: ſalt⁹ ⁊ omẽ li-
gnũ ei⁹. Qm̃ redemit dñs iacob: ⁊ iſrl̃ glãbit̃
Hec dicit dñs redẽptor tu⁹: ⁊ formator tu⁹ ex
vtero. Ego ſuz dñs faciẽs oĩa. extendẽs celos
ſolus: ſtabiliẽs terrã ⁊ nullus mecũ. Irrita fa-
ciẽs ſigna diuinoꝝ: ⁊ ariolos ĩ furorẽ vertens.
Cõuertẽs ſapiẽtes retrorſum: ⁊ ſciam eoꝝ ſtul
tam faciens. Suſcitãs ꝟbũ ſerui ſui: ⁊ ꝯſiliũ nũ
cioꝝ ſuoꝝ cõplens. Qui dico hierl̃m hitaberis
et ciuitatib⁹ iude edificabimini: ⁊ deſerta ei⁹
ſuſcitabo. Qui dico pfundo deſolare: ⁊ flumia
tua arefaciã. Qui dico cyro paſtor meus es: et
omnẽ voluntatẽ meã cõplebis. Qui dico hie
ruſalem edificaberis: ⁊ templo fundaberis.

¶ C.S. Prophetia de cyro q̃ ppl̃m liberauit a
captiuitate. de aduẽtu xp̃i. et collectiõe gẽtiũ
ad fidem. de pnia collentiũ idola. Ca. XLV

A Ec dicit dñs xp̄o meo cyro cui⁹ ap-
prehẽdi dexterã vt ſubijciã añ faciã
eius gẽtes: ⁊ dorſa regũ vertaz. Et
aperiam corã eo ianuas: ⁊ porte nõ
claudent̃. Ego añ te ibo: ⁊ glioſos terre hũilia
bo. Portas ereas ꝯteram: ⁊ vectes ferreos cõ
fringã. Et dabo tibi theſauros abſconditos: et
arcana ſecretoꝝ: vt ſcias q: ego dñs q̃ voco no
men tuũ de⁹ iſrael pꝑter ſeruum meũ iacob: et
iſrael electum meũ. Et vocaui te noĩe tuo. aſſi
milaui te: ⁊ ñ cognouiſti me. Ego dñs: ⁊ nõ eſt
amplius. Extra me nõ eſt deus. Accinxi te: ⁊ ñ
cognouiſti me: vt ſciãt hi qui ab ortu ſolis et q̃
ab occidente. qm̃ abſq̄ me nõ eſt de⁹. Ego do-
minus et nõ eſt alter. formãs lucẽ et creãs te-
nebras faciens pacẽ et creans malũ. Ego dñs
B faciens omia hec. Rorate celi de ſup: ⁊ nubes
pluant iuſtum. aperiat̃ terra et germinet ſal-
uatorez: ⁊ iuſticia oriatur ſimul. Ego dñs crea-
ui eum. Ve q̃ cõtradicit factori ſuo: teſta de ſa-
Ro.ix.d Iere.xviij.e miis terre. Nunq̃d dicet lutum figulo ſuo. q̃d
facis: ⁊ opus tuum abſq̄ manib⁹ eſt. Ve qui
dicit patri q̃d generas: ⁊ mulieri quid parturiſ
Hec dicit dñs ſanct⁹ iſrael plaſtes eius. Vẽtu-
ra interrogate me: ſuper filios meos ⁊ ſuper
opus manuũ meaꝝ mãdate mihi. Ego feci ter
ram: et hoĩem ſup eam creaui. Ego et manus
mee tetenderũt celos: ⁊ omĩ militie eoꝝ man
daui. Ego ſuſcitaui eũ ad iuſticiam: et omnes
C vias ei⁹ dirigã. Ipſe edificabit ciuitatẽ meã: ⁊
captiuitatẽ meã dimittet: nõ in pcio neq̄ ĩ mu
nerib⁹. dicit dñs de⁹ exercituũ. Hec dicit dñs
Labor egypti et negociatio ethiopie et ſabaiz
viri ſublimes ad te trãſibunt: ⁊ tui erunt. Poſt
te ambulabũt: vincti manicis pgent: ⁊ te adora
bunt: teq̄ depcabunt̃. Tñ in te eſt de⁹: et non
eſt de⁹ abſq̄ te. Vere tu es de⁹ aſcõdit⁹. deus

iſrael ſaluator. Cõfuſi ſunt et erubuerũt omẽs
ſimul abierũt in cõfuſione fabricatores erroꝝ.
Iſrael ſaluat⁹ eſt in dño ſalute eterna. Nõ cõ-
fundemini et nõ erubeſcetis vſq̄ in ſeculuz ſe
culi. q: hec dicit dñs creans celos. Ipſe de⁹ for
mãs terram et faciẽs eam: ipſe plaſtes ei⁹. Nõ
inuanum creauit eã. vt habitet̃ formauit eam.
Ego dñs ⁊ nõ eſt alius. Nõ in abſcondito locu D
tus ſum: in loco terre tenebroſo. Nõ dixi ſem
ini iacob fruſtra: querite me. Ego dñs loquens
iuſticiam. annũcians recta. Cõgregamini ⁊ ve
nite: et accedite ſimul q̃ ſaluati eſtis ex gẽtib⁹
Neſcierunt q̃ leuant ſignũ ſculpture ſue. et ro-
gant dñm nõ ſaluantẽ. Annũciate ⁊ venite:
et cõſiliamini ſimul. Quis auditũ fecit hoc ab
initio? Extunc pdixi illud. Nunq̃d nõ ego dñs
et nõ eſt vltra de⁹ abſq̄ me? Deus iuſtus ⁊ ſal
uans nõ eſt pter me. Cõuertimini ad me ⁊ ſal
ui eritis oẽs fines terre. q: ego de⁹ ⁊ non eſt
alius. In memetipſo iuraui. egredietur d̃ ore Ro.xiiij.d
meo iuſticie verbuz: ⁊ nõ reuertet̃. q: mihi cur
uabitur omẽ genu: et iurabit oĩs lingua. Ergo
in dño dicet. Mee ſunt iuſticie ⁊ imperiũ. Ad
eum venient: et ꝯfundẽtur oẽs q̃ repugnãt ei
In domino iuſtificabitur et laudabitur omne
ſemen iſrael.

¶ C.S. De deſtructione idolatrie: ꝟba dei pa
tris. vbi increpat iudeos ⁊ reuocat ab idolis
et ſalutem pmittit in filio. Ca. XLVI

A Onfractus eſt bel. ꝯtritus eſt na-
bo. facta ſunt ſimulacra eorum be-
ſtijs et iumẽtis. Onera veſtra gra-
ui pondere vſq̄ ad laſſitudinez cõ-
tabuerunt et cõtrita ſunt ſimul. Nõ potuerunt
ſaluare portantẽ: et aĩa eorum in captiuitatez
ibit. Audite me dom⁹ iacob: et omẽ reſiduum
domus iſrael. Qui portamini a meo vtero. q̃
B geſtamini a mea vulua. Vſq̄ ad ſenectã egoip
ſe: ⁊ vſq̄ ad canos ego portabo. Ego feci. ⁊ e-
go feram. ego portabo ⁊ ſaluabo. Cui aſſimila- ſ.xl.f
ſtis me ⁊ adeq̃ſtis: ⁊ cõparaſtis me ⁊ feciſtis
ſimilem. Qui cõfertis aurum de ſacculo: et ar
gẽtũ ſtatera põderatiſ. Cõducẽtes artificẽ vt fa
ciat deum et pcidunt et adorãt. Portant illum Baruch.vi.e
C in humeris geſtãtes: et ponẽtes in loco ſuo.
Et ſtabit. ac de loco ſuo nõ mouebitur. Sed et
cum clamauerint ad euz nõ audiet: de tribula
tione nõ ſaluabit eos. Memẽtote iſtud et con
fundamini: redite puaricatores ad cor. Recor-
damini prioris ſeculi: qm̃ ego ſum de⁹: ⁊ nõ eſt
vltra deus: nec eſt ſimilis mei annuncians ab
exordio nouiſſimũ: et ab initio que necduz fa-
cta ſunt dicens. Cõſilium meũ ſtabit: ⁊ omnis
D voluntas mea fiet. Vocãs ab oriente iuſtuz: et
de terra longinq̃ virum voluntatis mee. Et lo
cutus ſum et adducã illud: creaui et faciã illud
Audite me duro corde. q̃ longe eſtis a iuſticia.
Prope feci iuſticiam meã: nõ elongabit̃: et ſa-
lus mea nõ morabitur. Dabo in ſyon ſalutem:
et in iſrael gloriam meam.

¶ C.S. Sermo dñi ꝯ babyloniã: vbi oñditur

eius ſuperbia:hũiliatio et deſtructio. XLVII
A D Eſcẽde:ſede in puluere virgo filia ba
bylon:ſede in terra. Nõ eſt ſoliũ filie
chaldeorum: q: vltra non vocaberis
mollis ⁊ tenera. Tolle molã et mole
farinã.denuda turpitudinẽ tuã. Diſcoopi hũe
Naum.iij.b rũ:reuela crura:tranſi flumina. Reuelabit ig
nominia tua: et videbit obprobriũ tuũ. Vltio
nẽ capiã: ⁊ non reſiſtet mihi hõ. Redẽptor no
B ſter dñs exercituũ:nomẽ illi⁹ ſanct⁹ iſrael. Se
de tacẽs et intra in tenebras filia chaldeorũ.q:
nõ vocaberis vltra dña regnorũ. Irat⁹ ſum ſu
per populũ meũ:cõtaminaui hereditatẽ meã
et dedi eos in manu tua. Non poſuiſti eis miſe
ricordias. Sup ſenẽ aggrauaſti iugũ tuũ valde
et dixiſti. In ſempiternũ ero dña. Non poſuiſti
hec ſup cor tuũ.neq; recordata es nouiſſimi tui
Et nunc audi hec delicata:et habitãs ɔfidenť.
q dicis in corde tuo:ego ſum:et nõ ẽ pter me ã
plius. Nõ ſedebo vidua et ignorabo ſterilitatẽ
Venient tibi duo hec ſubito in die vna ſterilitas
C et viduitas. Uniuerſa venerũt ſup te.ppt mul
titudinẽ maleficiorũ tuorũ:et ppt duriciã incan
tatorũ tuorũ vehementẽ. Et fiduciã hũiſti in ma
Iere.xlix.c licia tua:et dixiſti. Nõ ẽ q videat me. Sapiẽtia
tua et ſciã tua hec decepit te. Et dixiſti in corde
tuo. Ego ſum.et pter me nõ ẽ altera. Veniet ſu
per te malũ:⁊ neſcies ortũ ei⁹:⁊ irruet ſuper te
calamitas quã nõ poteris expiare. Veniet ſup
te repẽte miſeria quã neſcies. Sta cũ incãtato
ribus tuis:⁊ cũ multitudine maleficiorũ tuorũ
in qb⁹ laboraſti ab adoleſcẽtia tua.ſi forte quid
D proſit tibi:aut ſi poſſis fieri fortior. Defeciſti in
multitudine cõſiliorũ tuorũ. Stẽt et ſaluẽt te au
gures celi q cõtẽplabant ſidera:⁊ ſupputabãt
mẽſes vt ex eis annũciarẽt vẽtura tibi. Ecce fa
cti ſunt quaſi ſtipula:ignis cõbuſſit eos. Nõ li
berabũt aiam ſuã de manu flãme:nõ ſunt prũ
ne quib⁹ calefiãt.nec focus vt ſedeãt ad eum.
Sic facta ſunt tibi:in quibuſcũq; laboraueras
Negociatores tui ab adoleſcẽtia tua:vnuſq;q;
in via ſua errauerũt. Nõ eſt q ſaluet te.

¶C.S. Increpat dñs duriciã iudeorũ p ſapiẽ
tiã q cognoſcit futura.per potẽtiã q creauit oĩa
ſe colẽdũ pbat ⁊ nõ idola.ppt q traditi ſunt ĩ
micis.de liberatõe eorum. ¶Ca.XLVIII

A A Udite hec domus iacob q vocamini
noĩe iſrael:⁊ de aq̃s iuda exiiſtis:q iu
ratis in noĩe dñi:et dei iſrael recorda
mini.nõ in veritate neq; ĩ iuſticia. De
ciuitate eñ ſancta vocati ſunt:⁊ ſup deũ iſrl' cõ
ſtabiliti ſunt. Dñs exercituũ nomẽ eius. Prio
ra ex tũc ãnũciaui:et ex ore meo exierũt:et audi
ta feci ea:repẽte opatus ſum ⁊ venerũt. Sciui
eñ q: dur⁹ es tu:⁊ neruus ferreus ceruix tua:
et frons tua erea. Predixi tibi extũc.añq; veni
rẽt indicaui tibi: ne forte diceres. Idola mea
fecerũt hec:et ſculptilia mea et cõflatilia man
B dauerũt iſta. Que audiſti vide oĩa. Uos aũt nõ
ãnũciaſtis. Audita tibi feci noua extũc:et con
ſeruata ſunt q neſcis. Nũ creata ſunt et non ex
tunc et ante diẽ:et nõ audiſti ea:ne forte dicas
ecce ego cognoui ea. Neq; audiſti neq; cogno
uiſti neq; extũc apta eſt auris tua. Scio eñ q:
puaricãs puaricaberis:et tranſgreſſorẽ ex vte
ro vocaui te. Propter nomẽ meũ lõge faciã fu
rorẽ meũ:et laude mea infrenabo te ne intere
as. Ecce excoxi te:ſed nõ quaſi argẽtũ.elegi te
in camino paupertatis. Propt me.ppter me faci
am.vt nõ blaſphemer:et gloriã meã alteri non s̄.xlij.b
dabo. Audi me iacob:et iſrl' quẽ ego voco. Ego s̄.xli.b.c
ipſe.ego pmus et ego nouiſſim⁹. Manus quo xliiij.a
q; mea fundauit terrã:⁊ dextera mea mẽſa eſt C
celos. Ego vocabo eos:⁊ ſtabũt ſimul. Congre
gamini oẽs vos:et audite. Quis de eis ãnũcia
uit hec? Dñs dilexit eũ:faciet volũtatẽ ſuã in
babylone:et brachiũ ſuũ in chaldeis. Ego ego
locut⁹ ſum et vocaui eũ.adduxi eũ et directa ẽ
via eius. Accedite ad me:et audite hec. Non a
principio in abſcõdito locutus ſũ. Ex tpe añq;
fieret ibi erã:⁊ nũc dñs de⁹ miſit me ⁊ ſpũs ei⁹
Hec dicit dñs deus redẽptor tuus ſcũs iſrael.
Ego dñs deus tuus docẽs te vtilia.gubernãs
te in via qua ambulas. Utinam attẽdiſſes mã D
data mea. Facta fuiſſet ſicut flumẽ pax tua: et
iuſticia tua ſicut gurgites maris. Et fuiſſet q̃ſi
arena ſemẽ tuũ:et ſtirps vteri tui vt lapilli ei⁹
Nõ interiiſſet:et nõ fuiſſet attritũ nomẽ eius a
facie mea. Egredimĩ d babylone.fugite a chal
deis in voce exultatõis annũciate.auditũ faci
te hoc:et efferte illud vſq; ad extrema terre. Di
cite. Redemit dñs ſuũ ſuũ iacob. Nõ ſitierũt
in deſerto cũ educeret eos. Aquã de petra pro
duxit eis:et ſcidit petrã ⁊ fluxerunt aque. Non I.lvij.d
eſt pax impiis dicit dñs.

¶C.S. Uerba filii ad eccleſiã ſub noĩe inſularũ
vbi dicit ſe miſſum ad ſalutẽ.tã gẽtiũ q iudeo
rũ.loquit pať ad filiũ de cõuerſis ad ipm.cõſo
lať dñs eccleſiã ſub noĩe ſyon.vbi dicit creden
tes in ipam vndiq; congregandos:et q preda
tolletur a forti. ¶Capitulum XLIX

A A Udite inſule et attẽdite ppli de longe A
Dñs ab vtero vocauit me:de vẽtre ma
tris mee recordat⁹ ẽ nois mei. Et po
ſuit os meũ quaſi gladiũ acutũ:in vm
bra manus ſue ptexit me:et poſuit me ſicut ſa
gittam electã. In pharetra ſua abſcõdit me:et
dixit mihi. Seru⁹ me⁹ es tu iſrael.q: in te glori
ficabor. Et ego dixi. In vacuũ laboraui:ſine cau B
ſa et vane fortitudinẽ meã cõſumpſi. Ergo iudi
ciũ meũ cũ dño:et opus meũ cum deo meo. Et
nũc hec dicit dñs formãs me ex vtero ſuũ ſibi
vt reducã iacob ad eũ:⁊ iſrl' nõ cõgregabitur.
Et glorificat⁹ ſum in oculis dñi:et deus meus
factus ẽ fortitudo mea. Et dixit. Parũ eſt vt ſis
mihi ſeruus ad ſuſcitãdas trib⁹ iacob: et feces s̄.xlij.b
iſrl' ɔuertẽdas. Dedi te in lucẽ gẽtiũ:vt ſis ſal⁹ Act.xiij.d
mea vſq; ad extremũ tre. Hec dicit dñs redẽ
ptor iſrl' ſcũs ei⁹:ad ɔtẽptibilẽ aiã ad abomi C
tã gentẽ ad ſuũ dñorũ. Reges videbũt ⁊ cõſur ij.Cor.vi.d
gẽt pncipes:et adorabũt.ppt dñm.q: fidelis ẽ
⁊ ſctũ iſrl' q elegit te. Hec dicit dñs. In tpore

placito exaudiui te et in die ſalutis auxiliatus
ſum tui. Et ſeruaui te:et dedi te in fedus ppl'i
vt ſuſcitares terram:et poſſideres hereditates
diſſipatas:vt diceres his q̄ vincti ſunt exite:et
his qui ſūt in tenebris reuelamini. Sup vias pa
Apoc.vij.d ſcenf:et in omnib⁹ planis paſcue eoꝝ. Nō eſu
rient neq; ſitient:et non percutiet eos eſtus ꝛ ſol
q: miſerato: eorum reget eos:et ad fontes aqꝛ
D potabit eos. Et ponam om̄s montes meos in
viam:et ſemite mee exaltabunf. Ecce iſti de lō
ge venient.et ecce illi ab aq̄lone et mari:ꝛ iſti de
terra auſtrali. Laudate celi.et exulta terra: iu-
J.liij.c bilate montes laudem.quia cōſolat⁹ eſt domi-
nus ppl'm ſuū:et pauperum ſuoꝝ miſerebif. Et
dixit ſyon.dereliquit me domin⁹:et dn̄s oblit⁹
eſt mei. Nūq̄d obliuiſci poteſt mulier infantez
ſuū:vt nō miſereaf filio vteri ſui? Et ſi illa obli
ta fuerit.ego tamē non obliuiſcar tui. Ecce in
manibus meiſ deſcripſi te:muri tui corā oculis
E meis ſemper. Venerūt ſtructores tui deſtruen
tes te.et diſſipantes a te exibunt. Leua in cir-
J.lx.a cuitu oculos tuos et vide:et omnes iſti cōgre-
gati ſunt:venerūt tibi. Viuo ego dicit dn̄s.quia
om̄ibus his velut ornamēto veſtieris:et circū-
dabis tibi eos quaſi ſponſa. Quia deſerta tua
et ſolitudines tue et terra ruine tue:nūc angu
ſta erunt p̄ habitatorib⁹:et longe fugabuntur
q̄ abſorbebāt te. Adhuc dicent in aurib⁹ tuis fi
F lij ſterilitatis tue. Anguſtus eſt mihi locus.fac
ſpaciū mihi vt habitem. Et dices in corde tuo.
Quis genuit mihi iſtos. Ego ſterilis et non pa
riens tranſmigrata et captiua:et iſtos quis e-
nutriuit. Ego deſtituta et ſola:et iſti vbi h̄ erāt?
Hec dicit dn̄s deus. Ecce leuabo ad gētes ma
nū meā:et ad populos exaltabo ſignum meū
Et afferent filios ſuos in vlnis: et filias ſuas
per hūeros portabūt. Et erūt regef nutricij tui
ꝛ regine nutrices tue. Vultu in terra demiſſo
G adorabūt te:et puluerē pedū tuorum lingēt. Et
ſcies q: ego dn̄s:ſup quo nō ꝯfundenf qui ex-
pectāt eū. Nūquid tollef a forti p̄da.aut quod
captū fuerit a robuſto ſaluū eſſe poterit? Q: h̄
dicit dn̄s. Equidē et captiuitas a forti tolletur
et qd̄ ablatū fuerit a robuſto ſaluabif. Eos ve-
ro qui iudicauerūt te:ego iudicabo:et filios tu
os ego ſaluabo. Et cibabo hoſtes tuos carnib⁹
ſuis:et quaſi muſto ſanguine ſuo inebriabunf.
Et ſciet om̄is caro q: ego dn̄s ſaluans te.et re-
demptor tuus fortis iacob.

¶ C.S. De iudea reprobata.de paſſionib⁹ xp̄i
A et de pena iudeorum obſtinatorū. ¶ Cap.L

Hec dicit dominus. Quis eſt hic liber
repudij matris veſtre: quo dimiſi e-
am:aut quis eſt creditor meus:cui vē
didi vos? Ecce enim in iniquitatibus
veſtris venditi eſtis:et in ſceleribus veſtris di
J.lix. miſi matrem veſtram: quia veni et non erat
vir:vocaui et non erat qui audiret. Nūquid ab
breuiata et paruula facta eſt manus mea vt
non poſſem redimere.aut non eſt in me vir-
tus ad liberandum? Ecce in increpatione mea

deſertū faciam mare:ponā flumina in ſiccum.
B Cōputreſcēt piſces ſine aqua:ꝛ morienf in ſiti
Induā celos tenebris ꝛ ſaccum ponā opimē-
tum eoꝝ. Dn̄s dedit mihi linguā eruditam vt
ſciam ſuſtētare eū q̄ laſſus eſt ꝟbo. Erigit ma-
ne.mane erigit mihi aurē:vt audiam q̄ſi magi
ſtrū. Dn̄s de⁹ apuit mihi aurē ego aūt nō ꝯtra
dico.retrorſum nō abij. Corp⁹ meū dedi percu
tientib⁹:ꝛ genas meas vellentib⁹. Faciē me C
am nō auerti ab increpātib⁹ ꝛ ꝯſpuentib⁹ in Math.xxvi.g
me. Dn̄s de⁹ auxiliator me⁹.et iō nō ſum cōfu
ſus. Ideo poſui faciē meā vt petrā duriſſimā
et ſcio q̄m nō ꝯfundar. Iuxta eſt qui iuſtificat
me. Quis ꝯdicet mihi. Stemus ſiſ. Quis ē ad
uerſarius me⁹. Accedat ad me. Ecce dn̄s deuſ D
auxiliator me⁹. Quis ē q̄ ꝯdēnet me. Ecce oēs
q̄ſi veſtimentū ꝯterenf. tinea comedet eos.
Quis ex vob̄ timens dn̄m.audiens vocē ſerui
ſui. Quis ambulauit in tenebꝛ ꝛ nō eſt lumen
ei. Speret in noīe dn̄i.et innitaf ſup deū ſuum.
Ecce vos oēs accendētes ignē accincti flāmiſ Ps.ci.
Ambulate in lumīe ignis veſtri. et in flāmis
q̄s ſuccendiſtis. De manu mea fc̄m̄ eſt hoc vo
bis. In doloribus dormietis

¶ C.S. De reprobatꝫ iudeis ꝛ ꝑfidis loq̄tur
dn̄s ad ppl'os.q̄bus glīoſaꝫ ꝑmittit eccl'iaꝫ.cō
fortat ꝙ fideles. ꝛ deſiderāt fideles aduētū fi
lij.q̄ r̄ndet ꝟba ſolatij. ꝑmittif filius q̄ plātet
celos ꝛ fundet terraꝫ.ꝛ vocanf ad ꝑniam qui
xp̄m in paſſione negauerunt. ¶ Ca.LI

A Udite me q̄ ſeq̄mini qd̄ iuſtū eſt. et
q̄ritis dn̄m. Attendite ad petrā vn̄
excīſi eſtis et ad cauernā laci de q̄
ꝑciſi eſtis. Attēdite ad abraam pa-
trem vr̄m.ꝛ ad ſarā q̄ pepit vos. Q: vnum vo
caui eū.ꝛ bn̄dixi ei.ꝛ multiplicaui eū. Cōſola-
bitur ergo dn̄s ſyon. ꝛ ꝯſolabif om̄s ruinas
eius. Et ponet deſertū eius q̄ſi delitias.ꝛ ſoli
tudinem ei⁹ q̄ſi hortū dn̄i. Gaudiū et leticia in B
uenietur in ea.gratiaꝝ actio ꝛ vox laudis. At-
tendite ad me ppl'us meus. ꝛ tribus mea me
audite. Quia lex a me exiet.ꝛ iudicium meum
in lucē ppl'orum requieſcet. Prope eſt iuſtus me
us.egreſſus eſt ſaluator meus.et brachia mea
populos iudicabūt. Me inſule expectabunt.ꝛ
brachiūꝫ meum ſuſtinebunt. Leuate in celum
oculos v̄ros.et videte ſub terra deorſum.q: ce
li ſicut fumus liqueſcent.et terra ſicut veſtimē
tum attereturꝫ.ꝛ habitatores eius ſicut hec in
teribūt. Salus aūt mea in ſempiternum erit: C
et iuſticia mea nō deficiet. Audite me qui ſci-
tis iuſtum.populus meus lex mea in corde eo
rum. Nolite timere opprobrium hominum. et
blaſphemias eorum ne metuatis. Sicut enim
veſtimentū:ſic comedet eos vermis.ꝛ ſicut la
nam.ſic deuorabit eos tinea. Salus autē mea
in ſempiternum erit.ꝛ iuſticia mea in genera
tiones generationuꝫ. Conſurge cōſurge. idue J.lij.a
re fortitudinem brachium dn̄i. Conſurge ſicut D
in dieb⁹ antiq̄s.in generationib⁹ ſeculorum.

Nūquid nō tu pcuſſiſti ſupbū: vulneraſti dra-
conē? Nūqd nō tu ſiccaſti mare: aquā abyſſi ve
hementis? Qui poſuiſti pfundū maris viā: vt
tranſirēt liberati. Et nūc q redēpti ſunt a dño
reuertent̄ ⁊ venient in ſyon laudātes: ⁊ leticia
ſempiterna ſup capita eoꝝ. Gaudiū ⁊ leticiam
tenebūt. fugiet dolor ⁊ gemit9. Ego egoipe cō
ſolabor vos. qs tu vt timeas ab hoīe mortali: ⁊
a filio hoīs: qui quaſi fenū ita areſcet: ⁊ oblit9
es dñi factoris tui q tetendit celos ⁊ fundauit
terrā: ⁊ formidaſti iugiter tota die a facie furo
ris ei9 q te tribulabat. ⁊ parauerat ad pdendū
E Ubi nunc eſt furor tribulantis? Cito veniet
gradiens ad aperiendum ⁊ nō interficiet vſq
ad internitionem: nec deficiet panis ei9. Ego
aūt ſum dñs de9 tuus qui cōturbo mare: ⁊ intu
meſcunt fluct9 eius. dñs exercituū nomē meū.
Poſui verba mea in ore tuo: ⁊ in vmbra man9
mee ptexi te: vt plantes celos ⁊ fundes terrā
F et dicas ad ſyon. pplus me9 es tu. Eleuare: ele-
uare: cōſurge hierlm. q bibiſti de manu dñi ca-
licem ire ei9. Uſq ad fundū calicis ſoporis bi-
biſti: ⁊ potaſti vſq ad feces. Nō eſt q ſuſtentet
eā ex oībus filiis quos genuit. ⁊ nō eſt q apphē-
dat manū ei9 ex oīb9 filiis quos enutriuit. Duo
ſunt q occurrerūt tibi. Quis cōtriſtabit̄ ſuper
G te? Uaſtitas ⁊ cōtritio ⁊ fames ⁊ gladi9. Quis
cōſolabit̄ te? Filii tui piecti ſunt: dormierūt in
capite oīum viarū ſicut orix illaqueat9 pleni in
dignatiōe dñi: increpatiōe dei tui. Idcirco au
di hec paupercula: ⁊ ebria nō a vino. Hec dicit
dñator tu9 dñs. ⁊ de9 tu9 q pugnauit p pplo ſuo
Ecce tuli de manu tua calicē ſoporis. fundū ca
licis indignatiōis mee. Non adiicies vt bibas
illum vltra. Et ponā illū in manu eoꝝ q te hu-
miliauerūt et dixerunt aīme tue incuruare vt
tranſeamus: ⁊ poſuiſti vt terram corpus tuū: et
quaſi viam tranſeuntibus.

¶ C. S. Excitat̄ eccleſia ad virtutes. de redē-
ptione noſtra cōmendantur predicatores: ⁊ iu-
bentur apoſtoli exire de polluta ciuitate. LII

A Onſurge cōſurge: induere fortitudine
ā. li. c tua ſyon. Induere veſtimentis glie
tue hieruſalem ciuitas ſancti: q nō
adiiciet vltra vt ptranſeat p te incir-
cūciſus ⁊ imundus. Excutere de puluere. con-
ſurge. ſede hieruſalem. Solue vincula colli tui
captiua filia ſyon. q hec dicit dñs. Gratis ve-
nundati eſtis ⁊ ſine argēto redimemini. Q h
dicit dñs de9. In egyptum deſcēdit ppl's me9
in pncipio: vt colon9 eſſet ibi: ⁊ aſſur abſq vlla
cauſa calūniatus eſt eū. Et nūc qd mihi eſt hic
dicit dñs? Qm ablat9 eſt ppl's me9 gratis. Do-
minatores ei9 inique agūt dicit dñs: ⁊ iugiter
tota die nomē meū blaſphemat̄. Propter hoc
ſciet ppl's me9 nomē meū in die illa. q egoipe
Naum. i. d qui loquebar ecce adſum. Q pulchri ſup mōtes
Roma. x. c pedes annūciantis ⁊ pdicantis pacē. annūciā
C tis bonū. pdicantis ſalutē: dicētis. Syō regna
bit de9 tu9. Uox ſpeculatoꝝ tuoꝝ. Leuauerunt
vocē: ſimul laudabunt: q oculo ad oculū vide
bunt cū cōuerterit dñs ſyon. Gaudete ⁊ lauda
te ſimul deſerta hieruſalē. q cōſolatus eſt dñs
populū ſuū. redemit hieruſalem. Parauit dñs
brachiū ſanctū ſuū in oculis oīm gentiū. et vi-
debūt oēs fines terre ſalutare dei noſtri. Re-
cedite recedite: exite inde. pollutū nolite tan-
gere. Exite de medio ei9. mūdamini qui fertis
vaſa dñi. Qm non in tumultu exibitis: nec in
fuga pperabitis. Precedet eñ vos dñs: ⁊ con
gregabit vos de9 iſrael. Ecce intelliget ſeruus
me9. exaltabit̄ ⁊ eleuabit̄: ⁊ ſublimis erit val-
de. Sicut obſtupuerūt ſup te multi. ſic inglori
us erit inter viros aſpectus ei9: ⁊ forma ei9 in
ter filios hoīm. Iſte aſpget gētes multas: ſup
ipm cōtinebūt reges os ſuū. Q qbus nō ē nar
ratū de eo viderūt: ⁊ q nō audierūt cōtēplati ſūt

¶ C. S. Prophetat de paſſiōe ieſu chriſti futu-
ra. cui pmittitur q poſt paſſionē erit ſaturitas
gentium in fide. ¶ Ca. LIII

Uis credidit auditui noſtro: ⁊ brachi-
um dñi cui reuelatū eſt? Et aſcēdet ſi
cut virgultū coram eo: ⁊ ſicut radix de
terra ſitienti. Nō eſt ei ſpēs neq de-
cor. Et vidimus eū ⁊ nō erat aſpect9: ⁊ deſide-
rauimus eū deſpectū ⁊ nouiſſimū viroꝝ. virū
doloꝝ ⁊ ſcientē infirmitatē. Et quaſi abſcōdit9
vultus ei9 ⁊ deſpect9. vñ nec reputauim9 eum.
Uere lāguores noſtros ipſe tulit: ⁊ dolores no D
ſtros ipe portauit. Et nos putauimus eū quaſi
leproſum: ⁊ pcuſſum a deo ⁊ humiliatū. Ipſe
autē vulnerat9 eſt ppter iniqtates nr̄as: attri-
tus eſt ppter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis
nr̄e ſup eū: ⁊ liuore ei9 ſanati ſumus. Oēs nos
qſi oues errauim9. vnuſqſq in viā ſuā declina-
uit. ⁊ poſuit dñs in eo iniqtatem oīm noſtrum
Oblat9 eſt q ipe voluit: ⁊ nō aperuit os ſuum.
Sicut ouis ad occiſionē ducet̄: ⁊ quaſi agn9 co
ram tondēte ſe obmuteſcet: ⁊ nō apiet os ſuū.
De anguſtia ⁊ de iudicio ſublat9 eſt. Gnationē
eius qs enarrabit? Q abſciſus eſt de terra vi
uentium. Propter ſcelus populi mei pcuſſi eū. B
Et dabit impios p ſepultura: ⁊ diuites p mor
te ſua. eo q iniquitatē nō fecerit: neq dol9 fue
rit in ore ei9: ⁊ dñs voluit cōterere eū in īfirmi-
tate. Si poſuerit p peccato aīam ſuā: videbit
ſemē longeuū. ⁊ voluntas dñi in manu ei9 diri
getur. Pro eo q laborauit aīa ei9: videbit ⁊ ſa-
turabitur. In ſcia ſua iuſtificabit ipe iuſt9 ſer-
uos meos multos ⁊ iniquitates eoꝝ ipſe por-
tabit. Ideo diſpartiā ei plurimos: ⁊ fortium di
uidet ſpolia: p eo q tradidit in mortē aīam ſu
am: ⁊ cū ſceleratis reputat9 eſt. Et ipe peccata
multoꝝ tulit: ⁊ p tranſgreſſoribus rogauit.

¶ C. S. De vocatione iudeoꝝ ⁊ gentiū. ⁊ qua-
liter eccleſia edificat̄ de lapidibus precioſis. ⁊
de fabro qui ſufflat prunas ¶ Ca. LIIII

Auda ſterilis que non paris: decan-
ta laudem ⁊ hinni: que nō pariebas:
quoniam multi filii deſerti magis q
eius que habebat virum dicit domi- C
nus. Dilata locum tentorii tui: et pelles taber-

naculum tuoꝝ extēde. Ne parcas. Longos fac
funiculos tuos: et clauos tuos ꝯſolida. Ad dex
teram eñ ⁊ ad leuā penetrabis: ⁊ ſemen tuū
gentes hereditabit: ⁊ ciuitates deſertas inha-
bitabit. Noli timere: q̄ñ ꝯfūderis neq̄ erube
ſces. Nõ eñ te pudebit: q: ꝯfuſionis adoleſcē-
b tie tue obliuiſceris: et opprobrij viduitatis tue
nõ recordaberis ampli⁹. Quia dñabit tui q̄ fe
cit te dñs exercituū nomē ei⁹: et redēptor tu⁹
ſanctus iſrl̄: deus oīs terre vocabit. Quia vt
c mulierem derelictam ⁊ merētem ſpū vocauit
te dñs: et vxorē ab adoleſcentia abiectā. Dixit
deus tuus. Ad pūctum in modico dereliqui te
et in miſeratiōibus magnis cõgregabo te. In
momēto indignatiōis abſcondi faciem meam
parūper a te: et i miſericordia ſempiterna miſer
tus ſum tui. Dixit redēptor tuus dñs. Sicut i
dieb⁹ noe iſtud mihi eſt cui iuraui ne inducerē
aq̄s diluuij vltra ſup̄ t̄rā ſic iuraui vt nõ iraſcar
tibi: et nõ increpē te. Montes eñi cõmouebūt
et colles ꝯtremiſcēt. miſericordia aūt mea non
recedet a te: ⁊ fedus pacis mee nõ mouebitur.
Dixit miſerator tu⁹ dñs. Paupercula tēpeſtate
cõuulſa abſq̄ vlla cõſolatiōe. ecce ego ſternam
per ordinē lapides tuos. ⁊ fundabo te i ſaphiris
Et ponā iaſpidē ꝓpugnacl'a tua: ⁊ portas tuas
i lapides ſculptos: ⁊ oēs terminos tuos i lapides
d deſiderabiles. Uniuerſos filios tuos doctos a
dño: ⁊ multitudinē pacis filijs tuis: ⁊ in iuſticia
fundaberis. Recede ꝓcul a calūnia: q: nõ time
bis: ⁊ a pauore: q: nõ appropinquabit tibi. Ecce
accola veniet: q̄ nõ erat mecū. aduena quōdaꝫ
tuus adiūgetur tibi. Ecce ego creaui fabrum
ſufflantē in igne prunas: ⁊ proferētē vas i op⁹
ſuū. et ego creaui interfectorē ad diſperdēduꝫ
Omne vas qd̄ fictū eſt cõtra te non dirigetur: ⁊
omneꝫ linguam reſiſtētem tibi: i iudicio iudica-
bis. Hec ē hereditas ſeruoꝝ dñi. ⁊ iuſticia eoꝝ
apud me dicit dominus.

¶ C.S. De baptiſmo ⁊ ꝑplo xp̄iano. de que-
a rendo dñm. ⁊ de verbo qd̄ nõ redit in vacuum

O Mēs ſitiētes venite ad aq̄s ¶ C. LV
Apoc.xxij.a ⁊ qui non habetis argētum ꝓperate
emite ⁊ comedite. Uenite emite ab
ſq̄ argento ⁊ abſq̄ vlla cõmutatio-
ne vinum ⁊ lac. Quare appēditis argentū nõ
i panib⁹: ⁊ laborē vrm̄ nõ i ſaturitate? Audite
audiētes me ⁊ comedite bonū: ⁊ delectabitur i
craſſitudīe aīa veſtra. Inclinate aurem veſtrā
et venite ad me. audite: ⁊ viuet aīa vrā: ⁊ feriā
b vobiſcū pactū ſempiternuꝫ. miſericordias dd̄
fidelis. Ecce teſtem pplis dedi eū ducē ac pre
ceptorem gentib⁹. Ecce gentē quā neſciebas
vocabis: ⁊ gētes q̄ nõ cognouerūt te: ad te cur-
rent ꝓpter dñm deū tuū ⁊ ſctm̄ iſrael: q: glori
ficauit te. Querite dñm dum inueniri põt: inuo
cate eum dū ꝓpe eſt. Derelinquat impi⁹ viam
ſuam: ⁊ vir iniquus cogitationes ſuas: ⁊ reuer
tatur ad dñm ⁊ miſerebitur ei⁹: et ad deum nrm̄
c qm̄ mult⁹ eſt ad ignoſcendum. Non enim cogi-
tationes mee cogitatiões vre neq̄ vie vre vie
mee: dicit dñs. Quia ſicut exaltātur celi a terra
ſic exaltate ſunt vie mee a vijs veſtris ⁊ cogita
tiones mee a cogitationibus vr̄is. Et q̄modo
deſcendit imber et nix de celo: ⁊ illuc vltra non
reuertitur: ſed inebriat terram ⁊ infundit eam
⁊ germinare eam facit: ⁊ dat ſemē ſerenti: et
panē comedenti. ſic erit vbum meū qd̄ egredie
tur de ore meo. Nõ reuertet ad me vacuū. ſꝫ fa b
ciet q̄cūq̄ volui: ⁊ ꝓſperabit in his ad q̄ miſi
illud. Quia in leticia egrediemini: et i pace de
ducemini. Mõtes ⁊ colles cantabūt corā vo
bis laudē: et oīa ligna regiōis plaudēt manu.
Pro ſaliūcula aſcendet abies. et pro vrtica cre
ſcet myrtus. Et erit dñs nomiatus in ſignū
eternum qd̄ nõ auferetur

¶ C.S. De eunucho ⁊ cuſtodiēte ſabbatū: et
ꝙ ꝓpt̄ malos paſtores deuorat ppl's. ¶ LVI

H Ec dicit dñs. Cuſtodite iudiciū ⁊ fa a
cite iuſticiā: q: iuxta eſt ſalus mea vt
veniat ⁊ iuſticia mea vt reueletur.
Btūs vir q̄ facit hoc: ⁊ fili⁹ hoīs qui
apphendet iſtud. Cuſtodiēs ſabbatū ne pollu-
at illud: cuſtodiēs man⁹ ſuas: ne faciat omne ma
lum. Et nõ dicat fili⁹ aduene q̄ adheret dño: di b
cens. Separatione diuidet me dñs a popu-
lo ſuo. Et nõ dicat eunuchus. ecce ego lignum
aridū. Quia hec dicit dñs eunuchis. Qui cuſto
dierint ſabbata mea: ⁊ elegerint q̄ ego volui ⁊
tenuerint fed⁹ meū: dabo eis i domo mea: ⁊ in
muris meis locū. et nomē meli⁹ a filijs ⁊ filia
bus. Nomē ſempiternū dabo eis: qd̄ nõ peribit. Sapiē. iij. b
Et filios aduene q̄ adherēt dño vt colāt eū: et
diligāt nomē eius vt ſint ei in ſuos. oēm cuſto
dientem ſabbatū ne polluat illud. ⁊ tenentem c
fedus meū adducā eos in montē ſctm̄ meū. et
letificabo eos in domo orōnis mee. Holocau-
ſta et victie eorū placebūt mihi ſup altari meo
quia dom⁹ mea dom⁹ orōnis vocabit cunctis Math.xxi.b
pplis. ait dñs deus. q̄ ꝯgregat diſꝑſos iſrael. Mar.xi.c.
Adhuc ꝯgregabo ad eū ꝯgregatos ei⁹. Omēs Luc.xix.g
beſtie agri venite ad deuorandū: vniuerſe be
ſtie ſaltus. Speculatores ei⁹ ceci oēs: neſcie d
runt vniuerſi. canes muti nõ valētes latrare:
videntes vana. dormiētes ⁊ amātes ſomnia:
et canes impudētiſſimi neſcierūt ſaturitatem
Ipſi paſtores ignorauerūt intelligentiā. Oēs
in viam ſuā declinauerunt: vnuſquiſq̄ ad auari- Hiere.vi.c
ciam ſuam. a ſummo vſq̄ ad nouiſſimū. Ueni- Sapiē. ij. b
te ſumamus vinuꝫ: ⁊ impleamur ebrietate. et
erit ſicut hodie: ſic et cras ⁊ multo amplius.

¶ C.S. De iuſto cui⁹ mors nõ intelligit ab im
pijs increpantur iudei ꝙ xp̄m in cruce ſubſan
nauerunt. ⁊ de idolis. de cõfidentibus in dño.
de reprobatione iudeorum. ⁊ ꝙ impij non eſt
pax. ¶ Ca. LVII

I Uſtus perit: et nõ eſt qui recogitet a
in corde ſuo: ⁊ viri miſericordie col
liguntur: q: nõ eſt qui intelligat. A
facie eñi malicie collectus eſt iuſt⁹.
Ueniat pax: requieſcet cubili in ſuo: q̄ ambula
uit in directiōe ſua. Uos aūt accedite huc filij

auguratricis: ſemē adulteri et fornicarie. Sup
quē luſiſtis. Sup quē dilataſtis os: ⁊ eieciſtis
linguā? Nūquid nō vos filij ſceleſti: ſemē men-
dax. Qui ꝯſolamini in dijs ſubter oē lignū frō
doſum imolātes puulos in torrentibus: ſubter
B eminētes petras In ꝑtibus torrentis ps tua.
hec eſt ſors tua. Et ipſis effudiſti libamē. obtuli
ſti ſacrificiū. Nunquid ſup his nō indignabor.
Super mōtē excelſum et ſublimē poſuiſti cubi
le tuū. et illuc aſcēdiſti vt immolares hoſtias.
Et poſt oſtiū et retro poſtē poſuiſti memoriale
tuū. q2 iuxta me diſcooperuiſti ⁊ ſuſcepiſti adul
terū. Dilataſti cubile tuū. et pepigiſti cū eis fe-
dus. Dilexiſti ſtratū eoꝝ manu aperta. et orna-
ſti te regio vnguēto ⁊ mltiplicaſti pigmēta tua
Miſiſti legatos tuos ꝓcul ⁊ humiliata es vſqꝫ
ad inferos. In multitudine vie tue laboraſti:
C nec dixiſti: q̄eſcā. Vitā manus tue inueniſti. Pro
pterea nō rogaſti? Pro quo ſollicita timuiſti. q2
mētita es: et mei nō es recordata: neqꝫ cogita-
ſti in corde tuo. q2 ego tacēs et q̄ſi nō vidēs: et
mei oblita es. Ego ānūciabo iuſticiā tuā: ⁊ opa
tua nō ꝓderunt tibi. Cū clamaueris liberēt te
cōgregati tui. Et oēs eos auferet vētus: tollet
aura. Qui aūt fiduciā hꝫ mei: hereditabit terrā
et poſſidebit montē ſctm̄ meū: et dicā. Viā faci
te. ꝑbete iter. decliate de ſemita. auferte offen
dicula de via ppl̄i mei. Q2 hec dicit excelſus et
